13/2

MEDICAMENTA QVAEDAM INERTIAE ACCVSATA

DEFENDIT

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

AVCTORITATE

PRAESIDE

ERNESTO PLATNERO

FACVLT. MED. PROFESSORE ET ASSESSORE

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTAT

AVCTOR

GOTTLOB LEBERECHT HAERTLING

DRESDENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS

LIPSIAE AD. I. M. MAII CIↃIↃCCLXXVIII.

EX OFFICINA LANGENHEMII

VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

DOCTISSIMO

CHRISTIANO LOBEGOTT PITSCHEL

MEDICINAE DOCTORI

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE

MEDICO AVLICO ET MILITARI

CONCILII AD SANITATEM PVBLICAM TVENDAM

REMQVE MEDICAM IN SAXONIA ORDINANDAM

CONSTITVTI ET COLLEGII MEDICO-CHIRVRGICI

DRESDENSIS ASSESSORI

ANATOMES DOCTORI PVBLICO

PRAECEPTORI ET PATRONO

PLVRIMVM VENERANDO.

OB

INNVMERA BENEFICIA

DOCENDO, CONSVLENDO, OPTIME DE ME

QVOVIS MODO MERENDO

IN ME COLLATA

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

PIO MENTIS CVLTV

D. D. D.

AVCTOR

GOTTLOB LEBERECHT HAERTLING

DRESDENSIS.

§. I.

Prooemium.

Quamuis ad morbos, ſiue nondum cognitos penitusque perſpectos, ſiue ita mites, vt ipſius naturae viribus ſuperari queant, ſiue ſalutares adeo et proficuos, prudentis omnino medici ſit, vti medicamentis, nomine potius quam re ipſa talibus, quae neque motus naturae ſalubres conturbent, neque noxios exaſperent, minuant interim aegrorum meticuloſitatem, fiduciamque recuperandae ſalutis alant: ad morbos tamen et cognitos, et pernicioſos, et viribus naturae maiores non niſi efficaciſſima et vſu comprobata remedia, morbique et corporis indoli accommodatiſſima adhibenda eſſe, in propatulo eſt. Quae quidem indagare diu et conquirere vix cogitur veteranus, cui multo rerum vſu ſubacto ſponte ſemet offerunt reſtituendae ſanitatis auxilia, quae ſaepe prodeſſe viderat; quae vero inuenire et congerere eo magis difficile erit tironi, quo magis inter ſe inuicem diſſident auctorum celeberrimorum medicorum, a quorum auctoritate tamen fere pendet, de remediorum actione et effectibus iudicia. Scilicet vix vllum reperitur medicamenti genus, commendatione et laudibus virorum doctiſſimorum illuſtre, de cuius efficacia alii, pari vel eruditionis vel experientiae fama florentes, non dubitauerint. Immo in conſultationibus meden-

tium priuatis longe ſaepius, quam in publicis auctorum commentationibus occurrit, vt inter inertia referantur, quae maxime forte profutura credideras; ſiue id demum eueniat, quoniam praeiudicatis ſuis opinionibus tantum tribuunt nonnulli, vt laudatiſſimorum adeo remediorum vim experiri, ne in animum quidem inducant vnquam; ſiue quoniam periculum aliquando facturi inciderunt in eiusmodi aegros, quorum, vel morbi omnem omnino reſpuerent medelam, vel valetudo alia longe expoſceret auxilia; ſiue denique quoniam eo animo acceſſerunt ad explorandum, qui verum cernere nollet eoue ingenio, quod non poſſet. Igitur iniquiſiſſima fere ſors videtur eſſe iunioris medici, qui in grauioribus aegrotationum generibus curandis, cui auxiliorum generi fidat, dubius haeret commendationesque inter et vituperationes fluctuat. Quam quidem rem penſitanti mecum ſaepius in mentem venit inquirere in viam et rationem, qua forte adiri poſſit ad certam et indubitatam virium medicamentoſarum cognitionem, cui acquirendae etſi rurſus videtur ſolus ſufficere vſus ſolaque caſta euentuum obſeruatio, non neglecto interim ſaporum, odorum, mixtionisque examine et inſtituto cum aliis ſimilis ſaporis, odoris mixtionisque, ſed exploratioris virtutis medicatae corporibus comparatione; fauere tamen ſuo quoque modo, vt arbitror, poteſt accurata et circumſpecta penſitatio rationum, propter quas medicamenta quaedam inter inertia relata ſunt a magnis artis magiſtris. Quumque ea res videretur omnino eſſe grauis momenti, in qua, quocunque modo erraueris, ob incommoda et noxas quam plurimas errorem excipientes, vix excuſabiliter erres, conſtitui mecum, in ea, quae nunc oblata mihi eſt ſcribendi diſſerendique oportunitate, proferre, quicquid ad defendendam medicamentorum quorundam efficaciam, aut inuenerim aut excogitarim, non eo forte animo, vt nouitate argumenti, quippe ſaepius

iam

iam varie tractati retractatique, animos legentium percellam, aut orationis elegantia, qua non polleo, demulceam, ſed eo ſolo conſilio; vt quid vel alii vel ipſe ſtatuerimus, recte ſtatuatur, aduerſariorum doctiſſimorum admonitionibus edoctus intelligam. In quo quidem libelli mei argumento tractando ita verſabor, vt praemiſſa inertiae medicamentorum notionis explicatione et varia diuiſione, ſtatim veniam ad illa corpora ipſa, quae vt ſunt inertiae ob varias ſubiungendas cuilibet rationes accuſata, ita ſpeciminis loco a me defendenda et vindicanda ſunt.

§. II.

Inertia medicamenti, quid.

Vt autem pateat, quid ſibi velit inertiae crimen medicamento cuidam obiectum: quid medicamentum ſit, quid virtus, quid actio, quidque operatio ipſius, breui antea ſermone indicabo, Scilicet medicamenti nomine inſignitur corpus naturale crudum, arteue mutatum, quod ita poteſt mutare, ſalutariter corporis animalis naturam, vt quod aberrabat antea, a ſanitatis tramite, reſtituatur reducaturque, quodque adeo morbos ſiue profligare, ſiue mitigare valet. Praeſtat hanc ſalutarem mutationem vi quadam particulis ipſius inſita, qua priſtinos nexus derelinquunt, humorumque noſtrorum mutuum connubium expetunt cum ipſorum non ſolum, ſed ſolidarum quoque partium et neruorum inprimis inſolita alteratione. Quae quidem medicamenti particulis inſita vis virtutem medicamenti ſiſtit; quemadmodum viciſſim proxime ab eadem in partibus coporis ſolidis fluidisque producta mutatione actio ipſius abſoluitur. Quum vero omnium omnino motuum, actionum, ſecretionum excretionumque exercitii ratio a conditione partium ſolidarum et fluidarum pendeat, hac mutata,

mutata, mutationes etiam in actionibus et motibus corporis occurrere debere, ſponte intelligitur. In harum vero, actioni medicamentorum varie renitentium et per eam ipſam producta mutatione operatio medicamenti conſiſtit. Quae quidem operatio pro vario actionis gradu manifeſta obſcuraue eſſe poteſt, ſiquidem etiam inter corporis actiones aliae ſenſibiles et apertae, inſenſibiles aliae et tectae reperiantur. Immo, pro cuiuslibet fere corporis conſtitutione propria, differre, maiorque vel minor eſſe valet. Quemadmodum autem ex actione et operatione medicamenti efficacia eiusdem ſiue vis intelligitur; ita viciſſim inertiam ex actionis operationisque defectu colligimus; vt proinde iners medicamentum ſit, quod neque in ſolidis, neque in fluidis, neque in neruis, neque in motibus et actionibus corporis vllam omnino mutationem ciet, cui igitur praeter nomen, naturae et virtutis medicatae nihil prorſus ineſt.

§. III.

Inertia medicamenti quotuplex eſſe poſſit.

α) Inertia abſoluta.

Poteſt vero in corporibus, medicamentorum numero illatis, occurrere duplicis generis inertia, quarum aliam abſolutam et propriam, aliam aduentitiam definitam vel cum conditione et relatione talem nuncupare liceat. Abſoluta nimirum ea nobis dicitur, quae ex ipſius ſubſtantiae, perperam medicatis virtutibus pollere exiſtimatae, naſcitur; cuiusque componentibus particulis nulla omnino in noſtros neruos, humores, compagemque fibroſam agendi, eosque acceſſu et admixtione ſua mutandi potentia competit, quod adeoque corpus noſtrum nullo plane modo afficere valet, niſi forte mechanicis quibusdam, quas vocant, qualitatibus, quae in figura,

mole,

mole, preſſu, motuue aggregati cernuntur, ſed quibus tamen medicamenti actio nequaquam continetur. Eiuſmodi vero abſolutam inertiam, quam omnino pauciſſimis tantum corporibus naturalibus ineſſe arbitro prodere fere ſolent natura particularum alicuius corporis maxime homogenea, quae nullo artificio diuidi ſemet in partes diſſimilares patitur, coniuncta cum inſolubilitate plenaria, quam ſiue in frigore ſiue in tepore, corpori humano conſueto, menſtrua aquoſa, oleoſa, ſalina media, alcalina, acida vegetabilia, gelatinoſa, mucoſaque incaſſum vincere tentant; cumque odoris et ſaporis abſentia, denique cum defectu omnis operationis, quam exſerere in motibus excretionibusque corporis mutatis deberet. Coniunxi autem haec ſigna propterea, quoniam corpora quaedam reperiuntur, quae etſi per artem in partes diſſolui nequeunt diſſimilares, corpus tamen noſtrum, acidorum mineralium et camphorae exemplo efficaciſſime mutant; porro, quoniam inter inodoras et inſipidas ſubſtantias quaedam motuum et excretionum adiumenta, et excitamenta praeſtantiſſima habentur, vt aqua ſimplex et ipecacuanhae inodora radix; denique quoniam, vt mox oſtendemus, aliquando operatio ab vſu cuiusdam medicamenti conſequitur manifeſta nulla, quae tamen propterea, quod obſcurior ſit, nondum negari debebat; vt variorum, inſenſibilem perſpirationem adiuuantium medicamentorum actio. Caeterum pauciſſimas tantum, in rerum naturalium numero, tantae inertiae, quam dixi, repertum iri, facillime largior, ſique a terreis ſilicinis et metallis nobilibus diſcedas, nullam amplius offendes. Eo vero magis videtur mirandum eſſe, quod inter medicos non vltimae famae et eruditionis fuerint, qui in corporibus, quorum ſplendore oculus ſolus paſcitur, ſanitatis quoque recuperandae adminicula quaererent, numeroque medicamentorum inſererent aurum et lapides pretioſos, pudentiſſima et inertiſſima therapiae ludibria.

§. IV.

β) *Inertia definita, ſ. relatiua.*

Alterum inertiae medicamentorum genus hypotheticum et aduentitium eſt, et frequentius occurrit. Naſcitur autem vel ex corporis conſtitutione, quae effectum definitum quendam non admittit, vel ex ipſius medicamenti, alias ſatis efficacis, qualitate vel quantitate, poſtulato effecto edendo impari. Vtrumque exemplis dilucidabo. In febris lentae altero ſtadio conſtitutis aegris quamplurimis apprime vtilis fuit, omnium obſeruatorum vnanimi conſenſu et narratione, lactis maxime aſinini aut ſeri lactis, corpus nutrientis, et humectantis humoresque demulcentis aliquamdiu continuatus vſus. In aliis aegrotis repetitus nil prodeſt. Ergone iners eſt lac eiusue ſerum? Eſt ſane, ſed in his tantum, quorum vel morbus eo vſque iam adoleuerat, vt omnem omnino reſpueret, medelam, vel quorum primae viae aut impurae erant, aut nimium debiles, ita vt vel medicamentum hoc alimentoſum corrumpi aut effluere adeo deiectionibus paterentur. Corticis peruuiani vires antipyreticas celebrant omnes; et tamen ſunt inter febrientes, qui quoniam ventriculus eum non fert ſed reuomit, vel quoniam canalis inteſtinorum ſordibus, humores viſcido, ſcatent, eodem incaſſum vtuntur. Ab vno medicamento omnis generis effectus temere, quis expectabit? Quis prudens, vbi Manna opus erat, Rheum porriget? Et tamen ſunt, qui quoniam, ſuo quaeque loco data, euacuant, promiſcue vtraque vſurpent, conquerentes poſtea temere, ſi ſpem eluſerit euentus, de alterutrius inertia. Eſt denique etiam in doſi medicamenti aut nimia aut iuſto parciori ſaepe, cur effectus haud conſequatur exoptatus. Nam, vti ſtimulis imparibus laceſſiti nerui nequaquam mouentur, ita et obrui et obtundi prorſus poſſunt, cuius rei luculentiſſimum exemplum praebet

aeger

aeger in ileo morbo euacuantium mole turgidiſſimus prudenti demum Cl. MEDICI, medela morti ereptus. Verum deſiſto iam plura addere iis quae de inertia medicamentorum in genere diſputaui et conuerto me ad ea medicamenta, quae alterutrius inertiae inſimulata ſunt, pro viribus defendenda.

§. V.

Sulphuris defenſio.

Primum igitur ex iis quorum cauſam peroraturi ſum *Sulphur* eſto *minerale;* quod quoniam in plerisque conſuetis menſtruis, quae pro medicamentorum reſolutione adhibentur, indiſſolubile eſt, et inprimis aquoſorum humorum noſtrorum connubium proſus ſubterfugere videtur, a nonnullis medicis, cum *Cl.* GERHARDO (*Mat. medic. p. 617. Edit. 2da Berol. 1771. 8.*) inter plane inertia, aut ſaltim tamen cum *Cl.* IO. FRIDERICO CARTHEVSERO (*Fundam. Mat. Med. Tom. II. p. 565. Edit. Frcf. ad Viadr. 1767. 8.*) inter ea refertur, quae praeter leniſſimam commotionem ac diſcuſſionem, ab exiliſſimis tantum atque halituoſis quibusdam particulis, nullius fere ponderis nec viſu vnquam cognoſcendis profectam in ſanguinem et humores nihil valeant. Denegantur proinde ſulphuri vires obtundentes, demulcentes, diaphoreticae, ſanguinemque depurantes, nihilque auxilii ab eius vſu ſiue interno ſiue externo vel in ipſa ſcabie expectatur. Verum enim vero tota Cl. CARTHEVSERI oratio, qua de ſulphuris efficacia detraxit, plena fluctuationis et dubitationis, non ſolum teſtari videtur de eo, quod nunquam Sulphuris vires experiri voluerit, ſed continet etiam ipſa egregia vindicandae ſulphuris energiae argumenta. Quod enim primo attinet ad illam criminationem, qua ſulphuris pars fixa craſſior, quae qualis ſit et quomodo a volatiliori quadam et ſubtiliori parte differat,

nusquam a doctissimo viro expositum est, a succis primae culinae nunquam solui, asseritur, ea vanissima est; siquidem per experimenta compertum habeatur, lac, ouorum albumen et vitellum et fellis animantium quaedam genera et serum sanguinis cum sulphure digesta, odore eius saporeque inquinari, atque SWIETENIO teste, cui certa experientia adstipulatur, foeces eorum, qui sulphure interno vsi fuerunt, animaduertantur olidissimae. Deinde si vel maxime insolubile sulphur foret, extra corpus in omni animali succo: quod vero, vt perhibui non est: intra corpus tamen receptum solui vel ad minimum ita attenuari posse, vt ad sanguinis vias progredi queat camphorae et phosphori vrinarii, substantiarum similis ferme naturae certa in corpore solutio et maximae virtutes spondere poterant. Porro vero certi sulphurearum partium transitus testis inuitus factus est ipse grauissimus eiusdem adversarius. Nam quum ex binis solum principiis arctissime vnitis, acido nimirum vitriolico et tenera substantia inflammabili componi alibi iam (*l. c. p. 562.*) docuerit, calorem vero, corporis humani calori aequalem, exhalationes sulphuris efficaces excitare non posse (*p. 566. not. e.*) asseruerit, multo minus credibile videtur, arctissime vnita vtraque sulphuris elementa eo calore diuulsum iri. Et tamen Vir Clarissimus assumsit, exilissimas quasdam partes atque haliluosas inhalatas ad sanguinem transire et vires quoque quasdam exserere. Quae particulae, quid aliud praeter sulphur esse possint, compulsis omnibus, non apparet. Sed fac etiam adeo a semet ipso dissentire iam, vt arctissimi nexus solutionem exiguus calor corporis producere possit; fac tenerrimas, quod etiam statuit et nos admittimus particulas inflammabiles adire sanguinem: hisne, quid praestare possint mensuram quid debeant, imperia feret opinio? Scilicet salua res est. Sulphur vere sanguinem intrare, luculenta commonstrant effecta. Gestata in corpore

ar-

argentea ornamenta iis, quibus largius ſulphur interne datur, aeque a perſpirabili materia denigrantur; atque fieri ſolet, quando liquati ſulphuris halitibus nitens argentum exponitur. Verum occurrit Cl. CARTHEVSERVS ſimpliciter negans, ſulphuris aſſumti exhalationes obſeruatae nigredinis cauſſam fuiſſe; vſus abuſusue experimento chemico, in quo ſine accedente motu calor ſiccus, circiter illi naturali corporis aequalis viſus, halitus eiusmodi argentum denigrantes expulit nullos. Quaſi vero vnquam in corpore ſiccus et ſine motu calor locum haberet! Quod quoniam non eſt, ab eo experimento chemico nihil omnino iuſtae dubitationis repeti poteſt. Sed quod ſulphur argentea illa denigret exterius geſtata: id confirmat odor perſpirabilis materiae mere ſulphureus eorum, quibus ad ſcabiei ſordes eluendas et expellendas liberaliori manu ſulphur porrigitur. Induſia, puluinaria, lodices, veſtimenta, cubiculum totum ſulphur ſpirat, ſaluberrimo euentu. Sic enim quorſumcunque ſcabiei inſidioſum contagium ſemet receperat, mox priſtinam in repurgato corpore habitationem repetiturum, iſtic debellatur prorſus et iners redditur. Habet denique ſulphuris efficacia teſtes locupletiſſimos in aluo repurgando vermibusque exturbandis BOERHAAVIVM (*Chem. To. II. pr. 180.*) et SWIETENIVM (*Comm. To. IV. p. 728.*); in colicis, cardialgicis et arthriticis doloribus et lithargyrii fumo ortis tollendis ROSINVM, LENTILIVM (*Iatromn. p. 73. Stuttg. 1712.*) in ſcabie ſecure perſananda ROSENIVM (*Anweiſ. zur Cur der Kinderkrank. p. 51. 414 ff. 2te Ausg. Gott. 1768.*) et VOGELIVM (*Comm. de dubiis quibusdam contra nociuum linimentorum ſulphureorum vſu in ſcabie Gott. 1760.*) in excitanda humorum ad cutim deriuatione PRINGLIVM (*Beobachtung über die Krankh. einer Armee p. 338.*) in morbis cutaneis, rheumaticis, arthiticis, vi diaphoretica mitigandis Cl. ESTEVE (*Quaeſt. chemic. pro vacante cathedr. Monspel. 1759. propugn. no. VIII.*) in pectoris af-

 fectio-

fectionibus chronicis leniendis Cl. SCHVLZIVM (*Praelect. in Disp. Brand. Ed. II. Norimb. 1753. p. 291.*); in ſaliuatione mercuriali ſupprimenda, QVELMALZIVM (*Pr. de Hydrargyri viribus in C. H. a ſulphure ſuſpenſ. Lipſ. 1749.*). Quorum teſtium excitatorum numerum facile augere poſſem, niſi abunde conſtare ex allatis putarem, CARTHEVSERI iudicium de ſulphuris exigua vi iniquum, iniquius autem longe GERHARDI eſſe, qui ei omnes plane vires denegabat.

§. VI.

Aethiopis mineralis defenſio.

Aethiopi minerali, quem ex Sulphuris et mercurii aequalibus vt plurimum partibus vel ſola tritura, vel intertritu ſuper igne moderato parant, longe plures extitere aduerſarii. Ex quo enim HERMANNVS BOERHAAVIVS (*Elem. Chem. To. II. Proceſſ. CCI.*) coeperat tanquam puluerem inodorum, inſipidum, nulli rei facile integrum miſcendum et tanquam maſſam inertem, inſulſam damnare; ſcripſerat porro: datum intra corpus non valere vaſa abſorbentia venoſa vel chylifera vel lymphatica ingredi, ſed recta tantum per fiſtulam inteſtinalem propulſum, ſi fortunato operetur, vermibus forte necatis, ano exire; decipi, qui alios inde effectus ſperent, quos inde natos nunquam videre potuerit; vereri ſe incautos, qui tanta copia infantibus, puellis et tenerioribus exhibeant alienam, naturae indomitam, maſſam foſſilem, tanto ſuſpectiorem ſane, quo pigriori inertia diutius reſtet; ſaliuationem non ciere, quia venire nequeat in ſanguinem; quaeſierat denique, quis ſciat effectus a materie, quae compoſita quamdiu manet, non videtur actuoſior quacunque ponderoſa inſulſa terra: non defuerunt, qui magni viri ſententiae ſubſcriberent: QVELMALZIVS (*prog. cit.*) HVNDERTMARKIVS (*Diſſ. de mercurii viui et*

cum

cum ſalibus varie mixti ſumma in C. H. vi atque efficac. Lipſ. 1754. §. 6.) KLEINIVS *(Select. rat. medicam.)* aliique plures. Verum neque auctoritatibus, quas opponam auctoritates, neque argumentis, quae regeram argumenta deficiunt. Etenim vt taceam Cl. GVALTERVM HARRISIVM, qui *(Tract. de morb. acut. infant. Obſ. XI.)* vt anthelminticum commendauit, quod neque prorſus ab aduerſariis negatum eſt; vidit N. LEMERY *(Cours de Chym. p. 223.)* prodeſſe admodum in aſthmaticis, epilepticis, rheumaticis, venereis, ſcrophuloſisque, FRIDERICVS HOFFMANNVS in epilepticis, capite contuſo *(Med. Rat. Syſt. P. IV. To. 3. p. 35.)*; amauroſi laborantibus. *(l. c. P. IV. To. 4. p. 123.)* venereis *(l. c. P. IV. To. 5. p. 16.)* morbis ſubcutaneis refractariis affectis *(l. c. P. IV. To. 5. p. 260.)* tuſſi ferina exagitatis *(l. c. P. IV. To. III. p. 389.)* GORTERVS *(Pr. Med. Syſt. To. II. Tr. 88, p. 143.)* in morbis pertinaciſſimis a cauſa viſcida, glandularum infarctu et ſcirrho, SCHVLZIVS *Praelect. in Diſp. Brand. p. 13.)* in vermibus, glandularum colli tumore cum auribus manantibus exulcerationibusque fiſtuloſis, amauroſi, ſcabie ſicca, menſium variis vitiis, in quibus et FREINDIVS *(Emmenolog. c. 14.)* efficacem ſemper comperit, porro atrophia infantum, mali venerei initiis, febre quartana conduxiſſe perhibuerunt. Ipſe SWIETENIVS, fidiſſimus vt plurimum ſui BOERHAAVII adſtipulator, tamen ad ſcabiem interius exteriusque aethiope minerali vſus eſt. *(Deſcript. abbregée des malad. des armées à Amſt. 1761. 12mo. p. 136. 179.)* Plura efficaciae huius medicamenti teſtimonia congeſſit, SCHROMMIVS, *(diſſ. inaug. de Aethiop. mineral. Altorf. 1725.)* Verum enim vero ne auctoritatibus ſolis videar pugnare; examinabo iam argumentorum negantium pondera. Igitur primum, quod ab indole inſipida, inodora et non acri depromitur: ſimillimi antimonii crudi et mercurii dulcis, aut pulueris alterantis PLVMIERII exemplo facile refutari poſſe crediderim.

De-

Deinde integre nulli facile rei miſceri poſſe, id fere commune aethiopi minerali eſt cum plurimis vegetabilibus animalibus mineralibus pulueribus, quos inertes proinde nemo dixerit. Neque plus valet negata aethiopis mineralis integri abſorptio per vaſa venoſa. Modo enim partes aethiopis, calore attenuatae et diſſolutae cumque humoribus reſorbendis intimius remixtae, reſorbeantur, quod deinceps confirmaturi ſumus, etſi integer abſorberi nequit, tamen efficax euadere in corpore poteſt. Abſorbenturne forte corticis peruiani, ſcillae, rhei, cicutae, aromatum integrae moleculae, an, quod integre non abſorbentur, propterea in vias ſecundas plane non agunt? Etiamſi igitur aethiops mineralis, quem cum BOERHAAVIO nullo ſenſu homogeneam maſſam vocari poſſe arbitramur, quamdiu compoſita manet, actuoſior quaeunque ponderoſa inſulſa terra haud videtur eſſe, id tamen nondum eius euincit inertiam. Edocendum enim prius erat, non diuelli in corpore eius principia. Quod quoniam non factum eſt, nil etiam euictum habetur. Quodſi vero adeo inefficax maſſa aethiops eſt iſte mercurialis, quid metuendum eſt a pigra ipſius inertia mali? ſin contra eſt, quod metuas a remora medicamenti quicquam, iners profecto eſſe nequit. Quicquid enim nocet, id apto tempore datum prodeſſe poterat egregie. Igitur vere ſpecioſis his argumentis nihil obtentum eſt. Verum, aiunt ſaliuationem non mouet aethiops, vtpote ſanguinem non ſubiens. Quaſi vero mercurialia ſemper ſaliuationem mouere debeant neceſſario, vbi ſanguinem intrarunt. Noſtris ſcilicet temporibus compertum et tralatitium eſt, Mercurium PLENCKII gummoſum, Mixturam SWIETENII antiſyphiliticam, aliaque hydrargyri praeparata rariſſime ſaliuationem mouere et in debellanda tamen foediſſima lue auxilia largiri praeſtantiſſima. Concedamus QVELMALZIO atque HVNDERTMARKIO, ſulphur ſuſpendere vires mercurii ſaliuantes,

tes, verum non eo modo ſuſpendit, vt ſibi fingunt obruendo et opprimendo mercurii omnem vim ligandoque tam fortiter, vt a ſuis compedibus ſemet prorſus liberare nequeat, ſed ita, vt ſulphur, ſeorſim attenuatum, ſeorſim quoque mercurii particulas liberatas et ſecum in ſanguinem delatas ad cutim abripiat et per diaphoreſin expellat. De vi enim ſulphuris diaphoretica poſt ea, quae dixi, vix dubitabitur, et quantum diaphoreſis aucta mercurii vim ſialagogam inhibeat, mercurialis inunctio ſine ptyaliſmo balneis accedentibus luem tollens, praeclare euincit. Diuelli autem in corpore ſulphuris et mercurii copulam non ſolum ſaliuatio, ab vſu aethiopis mineralis largiori conſecuta comprobat, quod tamen quoniam praefracte negat BOERHAAVIVS, nolo vrgere, ſed etiam omnium optime docet, tum a medicis grauibus narratum, tum et ſemel a me ipſo conſpectum phaenomenon argenteorum, quae geſtabantur ab iis, quibus copioſius per plures dies aethiops porrigebatur, denigratio et aureorum annulorum horologiorumque tombacinorum exalbatio. Vnde quidem certo certius conſtat, non ſolum adire aethiopis ſulphur et mercurium, reſorpta, ſanguinem, ſed etiam vtrumque ſeorſim, vna tamen, perſpirando eliminari; denique aethiopem per vtrumque aliquam vtique vim in humores, quibuscum mouentur, exſerere poſſe, iam puto his conceſſis et compertis, certiſſimum eſſe.

§. VII.

Cinnabaris audita cauſa.

Aduerſus cinnabarin natiuam, antimonii et factitiam, quam vltimam aethiopis ſublimatio largitur, libellum peracrem ſcripſit IO. FRIDERICVS CARTHEVSERVS (*Diſſ. de Cinnabaris inertia medica. Frcf. ad Viadr. 1743.*) Iam BOERHAAVIVS (*l. c. To. II. proc. 202.*) vim eius vt Aethiopis eſſe dixerat, vnde nunquam multum effectus viderit. QVEL-

MALZIVS et HVNDERTMARKIVS (*ll. cc.*) non minus reiiciunt. Et ſane intimior ſulphuris et mercurii coniunctio ſunt in cinnabari, quam in aethiope, vt diſſolutionem difficiliorem concedere cogaris. Egit tamen cauſam illius IO. GOTTSCH. WALLERIVS (*Diſſ. de cinnabar. in C. H. effectu. Vpſal. defenſ. edit. Holm. 1762.*). Non abuſus eſt V. Cl. experimentis, quae oleo tartari per deliquium et ſpiritui terebinthinae aliquam vim in cinnabari ſoluenda eſſe euincunt, ſed inſtituit experimenta cum aliis ſubſtantiis, ſuccis noſtris ſimilioribus; oleo amygdalarum, liquore cornu cerui ſuccinato, ſpiritu Mindereri, vitello oui, ſalibus oleoſis volatilibus; quibus omnibus ineſſe aliquam cinnabarin aggrediendi et ſoluendi vim vidit. Hinc merito putant ad inſolubilitatem perperam prouocare Cinnabaris obtrectatores, quum inſuper motus, calor lenis et aeris incluſi efficacia ingens, nec non continuus humorum affluxus ſolutionem debeant poſſintque adiuuare. Adiicit, ex PRINGLII narratione, cinnabarin ſaliuae mixtam aliisque partibus animalibus et vegetabilibus, atque aliquantiſper calori humani ventriculi ſimili, expoſitam ſulphureum odorem ſpiraſſe. Quid quod et a cinnabari aliquando viſus ſit oriri ptyaliſmus. Quae omnia oſtendunt, cinnabaris vires non temere reiiciendas eſſe.

§. VIII.

Caſtoreum inertiae accuſatum.

Quodſi de Sulphuris, et aethiopis mineralis deque cinnabaris virtute, quae praeter reſoluentem antiſpaſmodica cenſetur, dubitatum fuerit, erat in ſaporis odorisque abſentia, erat in ſolutionis difficultate ſpecioſus certe dubitationis praetextus, ferrique poterat magnorum virorum ingenua obtrectatio, quae vt accuratius poſtea in horum corporum vires inquireretur effecit. Verum quis putauerit de efficacia caſtorei dubitatum fuiſſe, medicamenti, propter miram graueolen-

lentiam adeo plerisque exosi; sapore tam eximio subacri, amaricante, nauseoso instructi, partiumque volatiliorum et resinoso gummearum, in humoribus nostris certe solubilium, copia abundantis? Ausus tamen hoc est GVILIELMVS ALEXANDER, Edinburgensis. (*Medic. Versuch. und Erfahr. a. d. Engl. überf. Leipz. 1773. p. 62. ff.*) vir, si ipsum audias, vltra omnes, qui antea in vires medicatas corporum naturalium inquisiuerunt, eminentiori sapientia praecellens. Indagaturus nimirum castorei, propter vnanimem medicorum consensum, diu inter antispasmodica, immo cardiaca, efficacissima numerati effectus, examinaturusque, quatenus satisfaceret consiliis, ob quae praescribitur: sequentia instituit experimenta. Primo assumsit bolum ex castorei granis decem, syrupo vulgari formatum; admoto ad cordis scrobiculum, ante semihorium, thermometro, cuius mercurius interea ad vndecentissimum vsque gradum adscenderat. In ea altitudine haesit immobilis per integrum bihorium a sumto medicamento. Pulsus qui septuagesies et semel intra horae minutum primum micaverat, per plures horas talis perstitit, nisi quod non nunquam ictus vnus completo numero, sed sine intermissione tamen, deesset. Praeter ructus ingratos effectus boli sensit nullos. Postridie aeque parum profecit castorei drachma dimidia. Tertio die a drachma integra sumta non nisi per gradum vnum eleuatus est thermometri mercurius. Quarto die sesquidrachmam, quinto duas sumsit. Sed frustra omnia. Calor pulsusque immutabiles fuere. Quapropter concludit Vir Clarissimus ad cardiaca referri non posse, maleque inesse in dispensatorio, si quidem paruae eius doses inutiles sint; dosis vero efficax futura, si qua vnquam id esse possit, et nimis futura pretiosa sit et ad mangonia certo certius institores seductura. Tincturae ad guttulas quinquaginta vel sexaginta quibus vix granum insit, exhibitae ridiculum esse vsum. Ex obseruatio-

nibus denique exactiſſimis, quas inſtituerit, ipſi conſtare perhibet, nunquam caſtoreum in valetudine ſpaſtica notabile attuliſſe iuuamen.

§. IX.

Crocus inertiae reus habitus.

In ſimilem criminationem venit crocus ab eodem GVILIELMO ALEXANDRO (*l. c. p. 66. ſſ.*) raptus in ius. Poſtquam enim compererat Vir Cl., lunaticum valde magnam iſtius copiam impune deglutiiſſe, ſtatim ſubiit mentem, vires medicamenti, adeo vehementer a pleriſque, ſed ſine ſolerti tamen, vt putat, virtutum examine laudati, experiri. Igitur ingeſſit ieiuno ventriculo croci, mica panis impaſtati, ſcrupulum dimidium, ſed cum thermometro et pulſu immutabili, et effectu notabili prorſus nullo. A ſcrupulo poſtridie ſumto duobus vel tribus ictibus auctus eſt, intra minutum horae primum, pulſuum numerus; ſed vt arbitratur ALEXANDER, alium omnem effectum fruſtra expectans, fortuito. A duobus ſcrupulis, aliquot diebus poſt, deglutitis, mercurius vnum gradum altius, elapſa hora, euectus eſt, ſed cum pulſus adeo imminuta celeritate, vt qui antea bis et ſeptuageſies micauerat, iam ſexies et ſexageſies tantum moueretur maneretque per omnem diem talis, niſi quod ictus vnus nonnunquam ſuperadderetur. Sed neque adſcenſum thermometri, neque pulſus imminutam celeritatem croci operationi tribuendam eſſe intellexit planiſſime, quum deinceps ſine his animaduerſis ſumeret eiusdem ſcrupulos adeo duos, doſin, vltra quam adſcendere vetare videtur ipſi palato ingratiſſimus et nauſeoſus ſapor. Igitur neque GALENO fidem haberi poſſe ait, qui ab vſu croci nimio vel dementiam vel mortem dicat oriri, neque BOERHAAVIO, qui narcoticis venenis adſcribat. Eſſe potius croeum medicamentum, ſi quidem ita dici mereatur, qua nullum innocentius, immo vero inertius exiſtat. Quicquid mali bo-

niue

niue praeſtare debeat, id infinite maioribus, quam quae noſtra iam artem faciendi ratio concedat doſibus, extorquendum eſſe. Lotium non tinxerat in his experimentis, quandoquidem lintea et charta alba, vrinae immiſſa, nulla imbuebantur macula, ſudoris excretionem ab eo haud colorari, libera a flauore linteamina, quae geſtabat experimentorum artifex, edocuere. Faeces vero multum tinctae fuerunt. Ex his planum iudicat eſſe, crocum non venire in ſanguinem, ſed propelli ex primis viis expertem omnis efficaciae ſiue noxiae ſiue vtilis, quam nonnulli in ipſo quaeſierant.

§. X.

Defenſio Caſtorei et Croci.

Iam, quaeſo, quaenam reſpondebimus aduerſario tam nobilium medicamentorum, non contemnendo, vt videri poterat; vtpote qui non commentitiis forte ſpeculationibus, ſed veris et indubitatis experimentis rem aggredi gloriatur? Errauerunt ne igitur omnes omnium aetatum medici, qui caſtoreum et crocum adhibuerunt, laudarunt, reformidarunt? nemoque tot in aliis oculatiſſimorum virorum naturam vidit vnquam? Latuit ne veritas, donec ALEXANDER eam protraheret? Donec illius corpus naſceretur, vtrum in nullo alio poterat explorari quid efficax, quid iners foret? Scilicet magni faciant, qui poſſunt huius viri haec tentamina; nos certe docuerunt nihil, praeter hoc vnum: neque croci neque caſtorei particulas in ALEXANDRI ventriculo et inteſtinis euolutas eſſe; nihil illarum veniſſe in ſanguinem, quapropter neque potuiſſe calorem augeri, neque pulſum accelerari, neque perſpirabilem humorem lotiumue tingi, neque vllum ſenſibilem edi effectum. Quodſi vero in vno corpore inefficax medicamentum eſt, non ſequitur, vt in omni iners futurum ſit vel fuerit. Quis enim quaeſo, quoniam in vno alteroue hydropico ſcillae pulvis, illiusue aut colchici oxymel vrinas non mouit,

vellet inde concludere SWIETENII, STOERCKII, MONROI aliorumque narrationes vanas esse; nil esse, nisi egregium sequacitatis et turpis segnitiei testimonium, quae quasuis doctrinas, vanissimas licet, lubentius amplectatur, quam vt in veritatem ipsam experimentis inquirat. Nam sic ausus est ALEXANDER caluminari impudentissime Croci Castoreique patronos. Ecquem fugit, resinam Ialappae ad pauca grana efficacem esse et saepe vim exserere purgantem nimiam? Et tamen mihi certa fide constat exemplum hominis, nec rarum forte, quem drachmae dimidiae dosis, minor quidem, quam quae ad duos vsque scrupulos extensa in LINNAEI *Mat. med. (edit. 2da Lipf. et Erlang. 1772. p. 60.)* vitione operariorum an seria auctoris voluntate temere commendata legitur; sed profecto apud nos et iure quidem insolita ista, tamen praeter duas deiectiones tenues nihil extorsit. Quis vero inde concludet, resinam Ialappae esse mitissimum purgans? Quodsi eiusmodi observationes de medicamentorum inertia in hoc vel illo solitario corpore publici iuris fierent omnes, narrationum taediosissimarum, licet verissimarum, plena volumina spatiosus vix caperet orbis. Lunaticus ille et ALEXANDER, quorum vterque magnam croci sine vlla mutatione ingessit copiam, aeque videntur imparata ad huius medicamenti vim exquirendam corpora habuisse, ac ictericus ad saporum iudicia; vel e ventriculo, saburra putrida pleno laborans, ad nutritionem laetam a cibis ingestis capiendam. Gratias igitur habeamus camphorae, quae hunc virum a similibus aliorum medicaminum examinibus retraxit feliciter, quamuis, quod dolemus, mouere non potuerit, vt semel conceptis et praeiudicatis suis opinionibus valediceret. Nimirum quum et in nitri vim refrigerantem, quam tamen negare non potuit, inquisisset, coepit camphora ludere. Impune et rursus, si pulsuum numerum, paulisper imminutum, excipias, sine alia operatione vlla tulit eius scrupulum.

lum. A duobus ſumtis fere enectus eſt. (*l. c. p. 96. ſſ.*) Et tamen in fine ſuae diſſertatiunculae (*p. 112.*) ſcripſit: experientias tales, nimirum quales ipſe inſtituerat, aut ſimiles vnicam monſtrare ſecuram viam, qua ducamur ad veras medicamentorum virtutes et operationes ita detegendas, vt cum ſpe felicioris ſucceſſus, quam ad hoc vſque tempus licuerit, applicari poſſint. Hoc eſt, vt arbitror, clauſis palpebris in luce media tenebras inuenire et lucem anxie quaeritare cum vitae discrimine.

§. XI.

Epilogus.

Verum ſufficiant haec, quae ſpeciminis loco de nonnullorum medicamentorum inertia ficta potius, quam euicta commentatus ſum. Quamuis enim non deeſſet materies, plura hanc ad rem facientia conſcribendi: ſiquidem legerim *Cl.* ESTEVE, ſulphuris, aethiopis, cinnabarisque egregium cauſidicum, tamen vtrum *antimonium crudum*, inter peſtifera venena quondam ab Inclyta Facultate medica Pariſienſi relatum, (vid. *Cel.* BALDINGERI *Magazin vor Aerzte. St. X. p. 915.*) a blandis humorum noſtrorum actionibus euolui poſſit, dubitaſſe (*l. c. Quaeſt. VIII.* v. *Commentar. de rebus in ſcientia naturali et medic. geſt. Vol. IX. p. 43. ſ.*); quum tamen, modo acidum ventriculo inſit, quod fere propter cibos potusque aceſcentes, quotidie ingeri ſolitos, vix vnquam deficere videtur; non ſolum regulina eius pars in blandam acremue naturam ſalinam, primas vias efficaciſſime ſtimulantem, et in ſecundis viſcidi, viſcerum glandularum, muſculorum et articularium ligamentorum vaſa minutiſſima obturantis, reſolutionem praeſtantem commutetur, ſed etiam ſulphur ad diaphoreſin iuuandam exſolui, eadem ratione, vt crudum ſulphur, poſſit; quum porro, quod abunde conſtat, compertum habeamus, a pleriſque medicis, praeeunte BOERHAAVIO (*l. c.*

Tom.

Tom. II. Proc. 218.) *antimonium diaphoreticum edulcoratum, ſ. ablutum* inertem, noxiam calcem dici, omni actuoſo deprehendendo per obſeruationes carentem, vtut negare nequeant, Eodem BOERHAAVIO fatente, duplata parte purgantibus mixtum re vera horum vires acuere, vt in puluere Cornachino certiſſimis exemplis conſtet; neque concipi poſſe videatur, quomodo idem ſimul dici iners omnique actuoſo principio carens, ſimul tamen vt noxium accuſari et vt adiumentum purgantium vim intendens laudari valeat; quum in *Cl.* SPIELMANNO (*Inſtit. Mat. Med.*) inueniatur, qui, vt alia praeteream, *elaterium* contemnat, *moſchum* ne commemoret quidem; quum denique, quam varia iudicia tulerint *Cl.* STOERCKII *Cicuta, Aconitum, Hyoſcyamus, Strammoneum, Pulſatilla, Colchicum*, neminem, quem fugiat, putem reperiri. Igitur quamvis vere ſupereſſet libelli argumentum: abrumpere tamen orationis filum conſtitui. Siue enim, quod fere in hac mea dicendi infantia, vereor, quae defendi, aduerſariis paullo ſeuerius, amicis iuſto languidius defendiſſe videar: eſt inuidiae pluris euitandae, gratiae non penitus perdendae, vnica ratio, hic finiiſſe: ſin vero euenerit; quod exopto auidiſſime et in hac voluntatis meae ingenuitate quidni expectem? vt haec quorundam medicamentorum defenſio aduerſus criminationes inertiae, ſedulo a me ponderatas, aequa ferat legentium iudicia: eorum tamen patientia temere abuti nefas puto. Quodſi ſunt, quos offendant quaedam defenſionis loca, id non nobis, ſed argumentorum, quo aduerſarii vſi ſunt, leuitati imputatum cupiam. Refutare conatus ſum ſine partium ſtudio falſas accuſationes; Auctores contra earum ob inſignia in rem medicam merita maximopere veneror. Id vnum adiiciam, difficile eſſe in medicina vniuerſales condere canones, ſed aeque difficile, in genere aliquid negare, aeque difficile medicamenti vires definire, atque inertiam eiusdem euincere.

ORDINIS MEDICORVM
IN VNIVERSITATE LIPSICA
H. T.

PROCANCELLARIVS
D. ERNESTVS GOTTLOB BOSE

ANAT. ET CHIR. PROF. P. O. FACVLT. MED. ASSESSOR
ET APVD LIPSICOS POLIATER

PANEGYRIN MEDICAM

AD DIEM I. MAII MDCCLXXVIII

INDICIT

De iudicio suffocati in partu foetus in foro adhibendo.

Saepe in foro quaeſtio de cauſſa mortis neogeniti mouetur, quam, etſi ante partum iam acceſſiſſe plerumque praetendunt puerperae, de infanticidio ſuſpectae, facile detegunt ſecantes, nec raro falſitatem aſſerti inueniunt, ex obſeruatis iis, de quibus alibi expoſuimus, [a]) conditionibus. Si vero laeſio nec externa, nec, facta perſcrutatione, interna quaedam deprehenditur, obſcura remanet cauſſa, et diſceptationibus pleniſſimam largitur opportunitatem. Tunc enim feminae, quae clandeſtinum edunt partum, non adiutae auxilio conſilioque ſubleuantium, vel ipſae effugium quaerere ſolent, vel a defenſoribus earum id arripitur, vt vel neogenitum mortuum natum eſſe, vel eum aut mox ante partum aut in ipſo partu ſuffocatum eſſe, ſine parientis culpa, ſtatuant. Mortui quidem nati indubitatum eſt in pulmone ſubſidente in aquis iudicium, quippe quum et ille, qui ob varias non remouendas cauſſas reſpiratione vti nequiuerit, iure mortuo ſit aequiparandus, ex quo, vitam extra vterum actam non fuiſſe, absque omni errore patet. Suffocationum autem ſigna non aeque luculenta habentur, quae itaque nunc maiore cum attentione ſunt penſitanda. Sumimus hoc, ob duplicem potiſſimum rationem partim, quo ſigna vera et genuina dignoſcantur factae aut praeſumtae ſuffocationis, partim, quo caueatur, ne pro viuo adſumatur, qui mortuus natus eſt.

Variae vtique cauſſae ſunt, quae foetum in vtero laedendi facultatem habent, nec non eundem ante partum necant, quaeque vel abortum faciunt, vel praecocem partum. Hae in foro iudicantur recte culpa deſtitui, niſi probari poſſit et

 euin-

a) Vid. Diſſ. mea I. de diagnoſi vitae foetus et neogeniti. Lipſ. 1771.

euinci consulto adhibita fuisse aliqua remedia, quae abortum promouere potuerint. Huc itaque pertinent manifesta indicia, quae ante partum iamiam nutritione destitutum fuisse embryonem docent, marcor totius corporis, imperfecta membrorum conformatio, funiculi vmbilicalis corruptio, aut flaccidus et exsanguis eius status, et alia, quae, recte valente ceteroquin grauidae aut parientis corpore, vteri vitium declarant, nec non sic debilitatum foetum, vt extra vterum is vitalis esse nequiuerit. Multo magis a pariente culpa abest, si illa graui acuto, vel diuturno morbo detineatur, partum licet clanculum ediderit, ob quam solam caussam in eam animaduertitur: etsi partus facilis extiterit, praecipue, si primipara non fuerit, aut tenerae aetatis et delicati habitus. Etenim talia ex inspectione intelliguntur momenta, et cadaueris sectione confirmantur. Multa deinde in ipso partu incommoda accedunt, foetui funesta, potissimum, si is retardatur, quod a conformatione inconueniente partium in pariente aeque ac in foetu proficiscitur, ab angusta nimis pelui eiusque inferiore cauitate, a capite praegrandi, eius paragomphosi, obliquo situ, incongruo ingressu et sic porro. Haec autem ita comparata sunt, vt vehementer dubitem, num de his in foro sit quaestio motura, quod praeternaturalis eiusmodi status impedit, quo minus foetus sponte nascatur, sine manuum auxiliatricum adiumento, in quas non cadit culpandae laesionis suspicio. In his ergo casibus omnibus defensores earum, quae partum necasse accusantur, euidentia, quae absoluere eas possint a poena ordinaria, inueniunt argumenta. In quibus iam non occupabimur, ad ea tantum respicientes momenta, quae ambiguitatem habent.

Suffocationem autem interceptum respirationis vsum plerumque nominamus, quae varia potest produci ratione. Alia violenta est et culposa, si v. c. strangulatio fiat, constrictio nimirum colli, laqueo vel compressione vel aliter facta, quibus

modis

modis et ſanguinis ſiſtitur motus, tum illius, qui ex capite revertitur, tum, qui per pulmones transadigitur, et aditus liberior aeris ad organa reſpirationis cohibetur. Alia eſt morboſa, ab internis cauſſis nata, ad quam voluntas, nec illius, qui ſuffocatur, nec aliorum quidquam confert, quaeque ea propter in foro excuſationem habet, qualem v. c. aſthmatici et phthiſici experiuntur. Longe diuerſa autem eſt ſuffocatio partus, quae in vtero, nec dum abſoluto partu, contingit, quae vtique, dum pariens ad eam nihil attulerit, excuſationem in foro meretur, morboſa facile dicenda, ſi ad foetum reſpexerimus, qui opprimitur. In qua diſquirenda intelligendaque, ſicuti in omni morbo, praecipua in cauſſis diſquirendis cura eſt adhibenda, quae, ſi manifeſtae non apparent, ex ſignis concomitantibus certis, ex corpore delicti animaduertendis, ſunt dilucidandae.

Partus maxime naturalis, quod viae, per quas tranſeundum eſt foetui, ante ſunt aperiendae, etſi hoc ſenſim fit, multa tamen ſecum habet incommoda, et parientis, in primis primiparae, moleſtias non leues, adiuuatur autem nixibus vteri vicinarumque partium efficaciſſimis, quibus protrudatur caput naſcendi. Hoc itaque volunt nonnulli, in his anguſtiis non nunquam ita coerceri et comprimi, vt, vitali viſcere encephali nimium adfecto, vita ſimul auferatur. Rotunda capitis forma tunc plerumque in oblongam acuminatamque abit, eamque in delinquentibus defenſores, ſi callidae praecipue inquiſitae id fingendo pronunciant, a ſtrictis et compreſſis femoribus, partum impedientibus productam fuiſſe affirmare conantur. Quam etiam opinionem tueri videtur HEBENSTREIT,[b]) qui *inter crura parientis*, inquit, *compreſſum naſcentis caput fuiſſe, magna oritur veriſimilitudo, vbi nec vna forte capitis regio, ſed totum illud, atque ipſa facies contuſa et ſanguine ſuffuſa deprehenditur*, niſi iam de facto partu et de enixo neogenito potius haec ſint

b). Anthropolog. Forenſ. Sect. II. Membr. II. cap. II. §. 42.

ſint interpretanda. Quamuis autem ad retardandum partum incommodum ſitum corporis non parum conferre largimur, [c]) multum tamen abeſt, vt in partu clandeſtino, adminiculis deſtituto, feminae ſanae, robuſtae nixus eam permittant reſiſtentiam, quae vitae foetus nociua fiat. Immo plane audiendae non ſunt obiectiones, quas a defenſore propoſitas, inque cerebro eiusdem enatas aliquando legimus, qui tantam vim eiusmodi compreſſionis eſſe volebat, vt fracturas, in occipite neogeniti inueniendas, inde deriuaret atque innocentiam reae declarare ſatageret. Siquidem caput a totius vrgeatur ſubſequentis corporis vi, ab vtero et cauſſis omnibus, in facili partu breuiterque abſoluendo admodum potentibus. Maxime, ſi aquae nondum omnes effluxerint, quibus ſimul impediatur, quo minus vel corpus foetus comprimatur, vel incuneetur caput. Immo, ſi hoc vltimum euenerit, laborioſus potius partus, nec ſpontaneus fieret. Si vero, quod ſaepe contingit, aquae ſenſim, pauca quidem quantitate, omnes effundantur, idque diu ante partum, ſolent enim quandoque dies intercedere, tunc euidentior quaedam cauſſa naſcitur, quae ſuffocationis auctor exiſtat. Etenim hoc facto vterus ea, qua aquae exeunt, proportione ſeſe conſtringens, ita arcte foetum vndiquaque cingit, vt is cum difficultate expellatur, idque duplici modo, quorum non rara exempla occurrunt, partus enim vel agrippinus eſt, vel capite praeuio. Ponamus pedibus primum prodire, illi quidem expediuntur ſaepe facile nec venter pectusque multum reſiſtunt, ſed, brachiis ſolutis, vbi ad collum deuentum eſt, tunc ſaepe oſtium vteri illud ſtrangulat, niſi promte caput extrahatur. In quo caſu itaque nec ſibi ipſi conſulere poteſt puerpera, nec naturae opus committere, quum artis eo tempore acceſſus labore pleniſſimus ſit. Sin ergo in foro talis caſus adeſſe dicatur, aut ſignis res probari de-

c) Conf. elegans commendatio I. G. GÜNZ de commodo parientium ſitu. Lipſ. 1742. 4.

debet, aut his deficientibus pro ficto recte creditur argumento, quum colli conſtrictio ab vteri oſtio ſponte non remittat, ob perpetuam ſcilicet irritationem. Hinc etiam clam pariens aut ab infante non liberaretur, aut ſine auxilio defungeretur vita. Attamen, vbi caput praeuium eſt, vti in naturali partu fit, ex nimis duro et elaſtico vteri orificio ſimiliter collum conſtringetur, eundemque, quem laqueus, effectum producet. Deinde, hic etiam partus non breuis ſed protractus eſt, ſicuti vero certiſſime naſcendum interficit, ita pariter dubitamus, num in foro tale exemplum ſit, quod poſſit in reae excuſationem adhiberi. Primo enim, quod eadem cauſſa adeſt, de qua mox in agripparum partu diximus, deinde, quod, ſi ſpaſmus in oſtio vteri remittere ponatur, foetus ante ſuffocati exitus difficilior redditur, idemque ſolis naturae viribus breui potiſſimum temporis ſpatio partus non peragitur, tandem, quod praeſumtio nullo confirmatur teſtimonio, quum ſolitaria mater fuerit. Hinc ſigna in neogenito praeſentia, conſideranda ſunt, quae ſimilia ſunt iis, vt diximus, quibus laqueus vitam ademit. Circulus quidem rubicundus, circa collum obſeruandus, non adeo diſtinctus ſemper, vti in ſuſpenſis, animaduertitur, abeſſe tamen nequit, vti capitis tumor, rubor, livor, dum viuebat foetus, a motu humorum et impedito eorum reditu neceſſario excitandus, eius deinde forma mutata, oblonga et compreſſa, vaſorum capitis externorum et internorum turgeſcentia, a ſanguine impacto, vel ex ruptis effuſio, ſugillatio, in cerebro accumulatio pariter ac in corde eiusque vaſis maioribus, nec non circa pulmones. Quae ſane momenta et a ſecantibus curioſe rimanda et in relationibus exponenda ſunt, ſi fides debeat aſſerto haberi. Quum etiam in ſtrangulatis inteſtinum rectum atque veſica exoneretur, laxatis ſphincteribus, in tali periculo meconium ex genitalibus exiuiſſe deprehenditur. Hoc autem ſignum tunc demum cum reliquis valorem conſequitur, ſi ex pulmonum tentamine nullam

fa-

factam fuiſſe reſpirationem ſimul doceatur. Si reſpirauit foetus, etſi in eo, quem ponimus, caſu id fieri nequit, lingua non raro ex ore exſerta et os, ſpuma plenum, inueniuntur. Legitur tamen penes ROEDERERVM [d]) exemplum pueri, partu ſoluti, *cui candida facies*, *nullo ſanguine ſuffuſa*, *nullo liuore notata*, in quo ſinus durae matris, vaſaque reliqua capitis, ſanguine penitus deſtituta, occurrebant, nec in ventriculos cerebri effuſus inueniebatur, omnis in thoracem coactus. Quod certe exemplum, vti ipſe Vir Cl. ſentit, inter rariores referendum eſt, vt normam conſtituere nequeat, atque, dum in ſinubus encephali concretiones polypoſas inuenerit, iam ante partum minus recte valuiſſe ſuſpicionem moueat: quam ſimul arbitramur cauſſam eſſe, quare, maxima licet adhibita induſtria, in vitam reuocatus non fuerit, quam forte continuare non potuiſſet, ſi vteri oſtio etiam conſtrictus non fuiſſet. Albus etiam dictus color mutabilis eſt, et, quod IDEM [e]) obſeruat, altero die in rubrum et liuidum conuertitur, id, quod in omnibus cadaueribus ex reſoluto, in putredinem inclinante, ſanguine, contingere ſolet. Caueant itaque ſecantes, ne pro ſugillatione, a violentia facta, habeant, quod mortis effectus cenſendum eſt.

Haec ab vtero facta ſuffocatio foetus, a funiculo etiam vmbilicali, circa foetus collum circumducto, producitur, vt aliorum fert opinio, quae tamen conditio a crimine infanticialiorum fert opinio, quae tamen conditio a crimine infanticidii pariter abſolueret, quoniam contra illum euentum nullum eſt in natura remedium, quod ſola ars ſuggerit. Euolui autem et colli ſtrangulatio impediri in clanculum pariente nequit. Sed minime negandum eſt, mortem inde debere induci, de eo vero dubitamus, num illa a ſola circa collum ſtrictura ſit deriuanda. Longitudo quidem funiculi naturalis ea eſt, quae ſub

d) Obſeruatt. medic. Satura de Suffocatis §. 4. in Opp. p. 292.
e) Loc. cit. §. 5. p. 298.

ſub variis corporis tenelli volutationibus, ſicuti aliis partibus, ita collo quoque, quod etiam confirmant obſtetricantes, circumducatur, eum tamen, in partu adiiuuando occupati, laxantes, periculum vitae a foetu auertere nituntur, nihilo tamen minus, etſi remoueri non poteſt, alia quoque mortis ſubſequentis in foetu cauſſa ſupereſt. Foetum in vtero enecatum recenſet FRID. RVYSCHIVS,[f]) cuius funiculus mire contortus fuerat, *ſicut in fune, quum poſt tenſionem eius et vnius extremi frequentiorem circumgyrationem, ad inuicem duo extrema ducuntur,* is autem collo non erat circumductus, arbitramur tamen, foetum illum ex eadem cauſſa fuiſſe mortuum, ac ii, qui a funiculo ſtrangulari dicuntur. Siue autem ſimplex ſiue frequentior ſit funiculi circa collum contorſio, ea ante partum, clauſo adhuc vtero, tam vehementer adſtringi non poteſt, vt ſanguinis in capite iter intercipiatur, partu vero incipiente et prodeunte capite funiculus fortius tenditur, ita quidem, vt circulus etiam liuidus circa collum appareat. Quam diu enim in aquis natat foetus, illique motus liberi conceduntur, tamdiu, neque vaſorum compreſſionem contingere clarum eſt, quae ſtagnare ſanguinem cogat, neque eam aſperae arteriae compreſſionem, quae aeris acceſſui obſit. Tunc etiam obſeruant obſtetricantes, caput iam proditurum, ceſſantibus doloribus retrahi iterum, neque nixibus vlterius promoueri, ſimul autem mirum in modum partum protrahi atque tardari. Quae quidem eam ob rationem animaduertenda eſſe putamus, quo appareat, nec hanc quidem conditionem in felici celerique partu, vt mortis cauſſam adſumtam, defendi, quae longiore opus habeat tempore et labore. Longe maius eſt periculum a compreſſo funiculo vmbilicali, in quo, ſiue is iuxta caput poſitus inueniatur, ſiue prolabatur, neque remittatur, per arterias venamque eius ſanguis non mouetur, quieſcit, et vitae filum abrumpit. Interim,

f) Obſeruatt. anat. chirurg. obſeru. XI.

rim, num in clandeſtino partu id fiat, dubito, nec puerpera id perciperet, nec ſubito liberaretur a foetu. Quid? quod in funiculo ipſo poſt mortem ſtagnans deficiensque maximam partem cruor obſeruetur, interiora vero turgeant, et alia violentiae ſigna abſint.

Cogor autem nunc adquieſcere, licet plura adhuc, quae foetum in partu occidere ſolent, momenta conſideranda ſuperſunt, de quibus alibi dicendum eſt. Ea enim, quae ad ſcribendum me impulit indicendae ſolennitatis occaſio commendare iubet

VIRVM

CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM

GOTTLOB LEBERECHT HAERTLINGIVM

MEDICINAE BACCALAVREVM

qui operam adhibens addiſcendis doctrinis medicis, non ſine honoris titulo abire ex noſtra ſchola voluit. Qua ratione in academia verſatus fuerit, ex vitae, quod vocant, curriculo pro more addendo, dignoſcitur. Sic vero is perſcripſit:

Natus ſum Dresdae a. d. XX. Ianuarii anno huius ſeculi quinquageſimo ſeptimo patre IOANNE GOTTLOB, artem ſpirituoſos liquores deſtillandi exercente, praematura morte vix dum ſeptenni erepto, matre ANNA ELISABETHA, e gente HVTTENRAVCHIA, etiam nunc, quod impenſe laetor, ſuperſtite, quae ipſa fideliſſime curauit, vt priuata prius inſtitutione, deinde publica illa in Scholis, Neoſtadienſi et a S. Cruce dicta, a Cl. GEBAVERO, conrectore, et Cl. OLPIO et SCHAEFFERO, rectoribus, religionis chriſtianae et literarum humaniorum ſaluberrimis praeceptis imbuerer, adiunctis KVHNSIO, WALTHERIO et SCHWEIGERTIO, caſtrametationis ductore, praeceptoribus in matheſeos et artis delineandi ſtudiis. In exterorum linguis addiſcendis vſus ſum opera in lingua gallica Cl.

ODII

ODII et SCHNEIDERI, in anglica BARTERMANNI, in italica CHERESII. Receptus deinde ab Ill. HAENELIO anno ſeptuageſimo ſecundo in numerum eorum, quibus Dresdae doctrinae medicae et chirurgicae explicantur, profeci ab Exc. PITSCHELIO, viro multis modis de me meritiſſimo, magiſtro anatomes et phyſiologiae, ab Exp. STEINLOECHLERO in theoretica anatome, arte cadauera ſecandi, obſtetricia nec non in doctrinis phyſicis, a b. WASSERMANNO vero et Cl. WILDIO in chirurgia et operationibus chirurgicis, ab Exp. WENDIO in arte faſcias chirurgicas applicandi, denique ab Ill. HAENELIO in therapia vtraque. Sub quorum virorum auſpiciis quoque aegrotantes in noſocomiis mihi viſitare licuit. Lipſicas poſt ea muſas ſalutaui anno ſeculi ſeptuageſimo quinto, ciuium academicorum numero adſcriptus a Magn. PLAZIO. Hic vero didici in ſcholis Exc. PLATNERI philoſophiam, anthropologiam et medicinam forenſem, in praelectionibus Cl. LESKII hiſtoriam naturalem. In phyſica experimentali electricitate et notitia inſtrumentorum phyſicorum ſecutus ſum Exp. LVDWIGIVM, plurimum ſuauitatis mihi afferente dulciſſima mihi ſemper ſcientia naturali. In phyſiologicis mihi profuit Exc. GEHLERVS nec non Exc. POHLIVS, ordinis medici Senior grauiſſimus, cuius ſcholae diſputatoriae et examinatoriae ingenium animumque confirmarunt. Exp. POHLIVS, iunior, in botanica et materia medica me inſtituit, itemque in anatome, cuius vberiores fontes mihi aperuit Exc. BOSIVS et HAASIVS. Interfui quoque Exp. LEONHARDI ſcholis phyſiologicis, pharmacologicis, chemicis, pharmaceuticis et artis formulas concinnandi, eiusdemque operam adhibui in repetendis doctrinis pathologicis, therapeuticis et clinicis, quas doctrinas ante ex ore Exc. KRAVSII perceperam. Frequentaui denique praelectiones Magn. Decani PLAZII, in quibus de prudenti medicamentorum applicatione diſſeruit. Quorum praeceptorum omnium et ſingulorum merita et nomina pia ſemper mente recolam.

His

His itaque ſubſidiis maturior factus, adiit ordinem noſtrum petiitque, vt ad tentamen admiſſus de percepta doctrina extet teſtimonium, quod anni praeterlapſi menſe Auguſto die XIII. factum eſt, vnde honores Baccalaurei reportauit. Alio ſpecimine, quod a candidatis noſtris ſolet exigi, praelectionibus nimirum publicis, hoc ipſo anno, menſe Februario de inflammationibus, praecipue inteſtinorum expoſuit. Deinde, quum iure a nobis petere poſſet alterum rigoroſiusque examen, illud commoti eius deſiderio conceſſimus, nuper elapſi menſis Aprilis die quarto, ſimulque veniam dedimus, cathedram adſcendendi, ſummorumque honorum conſequendorum facultatem. Hac itaque vſurus futuro die Veneris, menſis Maii initio, ſub Praeſidio amiciſſimi collegae, D. PLATNERI defendet *medicamenta quaedam inertiae accuſata*, diſſertatione, a ſe conſcripta, propriasque vires in tuenda ſua experietur ſententia. Abſoluto tandem vltimo hoc ſpecimine, ego quoque perficiam, pro ea, quae in me clementiſſime collata eſt, PROCANCELLARII auctoritate, quod officium poſtulat, largiendo doctoris gradum adſumendi licentiam, candidatum oratiuncula *de indole morborum polymorpha*, inaugurabo.

Enixiſſime autem rogamus, vt ſingulari ſuo fauore actum huncce ſolennem ſuſtineant et illuſtrent, quibus ineſt amor muſarum, quibusque placendi vnicum noſtrum eſt deſiderium. Praecipue ſplendorem conciliabit honorificentiſſimum, VESTRA, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, exoptatiſſima praeſentia, aeque ac VESTRA COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, AMANTISSIMI, animum exhilarans frequentia, quam vehementer ſollicitamus. Quod Noſtrum VOBIS inſeruiendi ſtudium, non augebit tantum et excitabit feruidius, ſed eo nos adiget, vt vos colendi obſeruandique datam quamcunque opportunitatem auidiſſime arripiamus et perſequamur.

P. P. Domin. Quaſimodogeniti A. O. R. MDCCLXXVIII.

H
ſtrum
extet te
XIII. fa
ſpecimi
bus nin
flamma
quum
men, ill
menſis
dram a
facultat
initio,
det *mea*
ſcripta,
Abſolu
pro ea,
auctori
adſume
polymor
E
huncce
muſaru
Praecip
RECTO
MI, PR
optatiſſ
NEROS
rans fr
ſtrum
tabit fe
que da
mus et
P

s, adiit ordinem no-
de percepta doctrina
menſe Auguſto die
ei reportauit. Alio
exigi, praelectioni-
nſe Februario de in-
expoſuit. Deinde,
rigoroſiusque exa-
ſſimus, nuper elapſi
iam dedimus, cathe-
m conſequendorum
Veneris, menſis Maii
D. PLATNERI defen-
iſſertatione, a ſe con-
experietur ſententia.
go quoque perficiam,
t, PROCANCELLARII
do doctoris gradum
ula *de indole morborum*

ari ſuo fauore actum
quibus ineſt amor
ſtrum eſt deſiderium.
entiſſimum, VESTRA,
MITES ILLVSTRISSI-
AE GRAVISSIMI, ex-
COMMILITONES GE-
IMI, animum exhila-
itamus. Quod No-
gebit tantum et exci-
colendi obſeruandi-
n auidiſſime arripia-

D. R. MDCCLXXVIII.

TIFFEN® Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres